



18
ET N E S S

Ex

D E V T E R O N O M I O
Disputatio IV:

De

E C C L E S I A , E T I N P R I -
M I S Q V O M O D O H Ä R E T I C I E T
alij impij mixti Ecclesiae sint tractandi:

Quæ

In Collegio disputationum Theologicarum
privato.

Ad diem 19. Decembris A. C. 1607.
UVitebergæ habebitur

P R A E S I D E

V V O L F G A N G O F R A N Z I O
S.S.Theol.D. & Prof. publ. Præpo-
sitoq; templi arcis

Respondente

M. E R A S M O Z O L N E R O
Ratisbonense.

W I T T E B E R G Æ

Typis Cratonianis, per Joh. Gorman.

M. D C VII.



Magnificis, Nobiliss. Amplif-

simis, præclarâ eruditione, prudentiâ, multi-
pliciâ; rerum usu præstantissimis Viris,

Dn. NICOMEDI SCHVÆ-
BELIO, Consuli Ratisbonensium Se-
niori dignissimo.

Dn. LEONHARDO EB MERO
ejusdem Reipublicæ Ratisbonensis Con-
suli vigilantissimo.

Dominis Macenatibus, Fautoribus & Promo-
toribus sempiterno observantia cultu prosequendis.

Item—

Amplissimis, Prudentissimis, eruditione & experientiâ
conficiuis Viris,

Dn. BALTHASARI RVHELIO Reipublicæ Ra-
tisponensis Archigrammateo solertissimo.

Dn. IOHANNI VVEBERO Curiæ quæstoriæ apud
Ratisponenses Assessori dignissimo.

Dn. STEPHANO FRONHOVERO, ejusdem
Curiæ Amanuensi solertissimo.

Dominis Fautoribus & Amicis plurima observantia colendis.



Hanc Disputationem Theologicam in grâ-
ti animi obligationem suiq; cominendatio-
nem devotè offert

Respondens:

S T N Q E S

THE S I S . I.

Deò Deus initio duos condidit homines, tanquam socios, Gen. 1, 27. ideo quoque se ipsum Gen. 2, 15. & 3, 9. ut etiam Patriarchis Gen. 6 & 7. & 12. &c. & eorum posteris Exod. 19. patefecit, ideo item misit Filium in hunc mundum Ioh. 7, 16. 28. ideo Christus post ascensionem suam sedens ad dextram Patris dat alios Prophetas, alios Doctores Ephes. 4. 11. ut certum sibi in terrâ colligat Populum, a quo recte cognoscatur & celebretur, ibid. 12.

II.

Ecclesia autem nomenclationem varijs se se modis habere, etiam vulgo non est ignotum, dum interdum pro cœtu vocatorū accipitur, in quo bonis & malis pure prædicatur Evangelium & ritè administrantur Sacra menta, Act. 20. interdum vero tantum pro cœtu electorum, quo pacto interpretandum est illud, quod habet Lutherus Tom. 2. f. 200. Ecclesia est prædestinatorum universitas Ephes. 5.

III.

In priore significatione usurpatam Ecclesiam, visibilē esse, ideo fatemur, quia verbum prædicari, sacramenta q; distribui & accipi, ipsosq; mixtos potissimum externē bonos & malos quotidiè audimus & videremus hinc inde in particularibus cœtibus.

Ecclesia vocabulum multiplex.

Ecclesia que visibilis.

IV.

In posteriore acceptione notatam Ecclesiam in utroq;

A 2 instru-

Iesu
24.40
judic
unda
atq; i
deß 8
cutar
lem
nom
fino
tum

N
fund
risæ
Aria
cent

men
turi

pug
Der
&
nua
tes
tis f
An

Ecclesia que
invisibilis.

Hac dñe ex
cap. 29. Deut. suo
tempore plura.

Mediator est
fundamentum
Ecclesie in ve-
teri & novo in
strumento.

Cui competit
ut non compre-
het nomen vere
Ecclesie.

instrumento seu testamento unam sanctam Catholicam in veteri Propheticam, in novo Apostolicam *invisibilem* nobis largiri coguntur Adversarij, non respectu membrorum quæ cernuntur, sed respectu fidei, quia inter veram & certò perseveraturam fidem sola discernere potest divina maiestas. 1. Reg. 9, 14. 18. 2. Tim. 2, 19.

V.

Neutrius significationis Ecclesiam, certo loco personis que alligata esse voluit Deus, apud quem non est respectus locorum & personarum, sed in utroq; instrumento seu testamento, in quavis gente qui quis timet Deum, & operatur iustitiam is acceptus est ei, Gen. 17, 12. Exod. 12, 44. Deut. 29, 10 & seqq. Act. 10, v. 34 35.

VI.

In Ecclesia autem visibili, quæ verbo & sacramentis colligitur, ubi cunq; per totum mundum spargatur, vera & viva membra in Mediatore & propter Mediatorem Esâ. 28, 16 unum spiritum, unam spem habentia, & vinculo spiritus in unum corpus compacta Eph. 4, v. 3. reperiuntur. Matth. 13. & 18 & 22. Esâ. 66, 10.

VII.

Ac sicut terra Gosen ubi degebatur Israël à totâ terrâ AEgypti ita separabatur, quando ibi lux erat à minimis ad minima, hic vero nihil nisi tenebrae & errores Exod. 10, 23. ita semper infinitum est discrimin inter visibilem Dei Ecclesiam & inter alias paganas in primis congregations, quarum has unicè declinare, illam amare & constanter frequentare jubarur.

VIII.

Nulli autem nomen Ecclesie Christi visibilis concedere possumus nisi ad tenorem thesis 6. quæ agnoscit aeternum Deum Patrem & aeternum Filium eius Dominum nostrum Iesum

in
obis
que
per-
cas.

nis-
tus
sta-
ju-
o &
sol-
iva
s u-
s in
13.

AE-
ini-
em-
m &
as u-
ju-

cede-
num
rum
sum

Iesum Christum Gen. 3, 15. Act. 15, 11. Ioh. 8, 58. Ioh. 17, 3. Luc. 24, 46, 47. adeoque credit quod Filio data sit vita & potestas iudicij, quatenus est Filius hominis Dan. 7, 9, 10. Ioh. 5, 26, 27. unde excludimus omnes, qui otquot aeternam Deitatem Christi, atq; ipsam unionem duarum naturarum hypostaticam, & inde (& quidem omnia nostra salutis efficienda gratia) consequam idiomatum communicationem non physicam sed realem petulanter aversantur & negant. Non enim est aliud nomen datum sub celo, in quo possint homines justificari nisi nomen Iesu Christi, hoc est, maiestas & potentia & meritum Christi, Gen. 22, 18. Alt. 4, 12. Gal. 3, 6.

X.

Note vera Ecclesia visibilis sunt, imprimis verbum Dei de fundamento salutis incorrupte expolitum, idq; contra Phariseos & Sadduceos veteres, hodiernos Iudeos, Pontificios, Arianos, Nestorianos, Eutychianos iterum veteres & recentes integra Biblia jastantes, & legitimus usus sacramentorum. Ad illam qui aggregari cupit, is ante omnia querat, ubi sit vera interpretatio scripturae.

X.

Posse autem in doctrina falsam quandam Ecclesiam, tamen habere vera sacramenta, experientia testatur, & fatentur ipsi Pontificij alij qd.

X.I.

Et ut de illis qui in hoc articulo maximè hodiè nobiscum pugnant, imprimis agamus. Papatus ipse nunquam fuit vera Dei Ecclesia, neq; etiamnum est, sed tamen in papatu fuit & remansit Ecclesia, ubi sibi septem millia reservavit, qui genua sua non flexerunt ante ipsum, non tantum inter infantes & aperte contradicentes, sed etiam alios, in fine de meritis falsis penitentes, & alioquin improbantes papatum, quia Antichristus in templo Dei sedet. 2. Thess. 2, 4.

Note Ecclesia
visibilis.

An Papatus &
sub Papatu fue-
rit & sit vera
Ecclesia.

XII.

Ita nec Hannas, Caiphas, & Sadducæi Pharisei q̄, erant vera Ecclesia, licet sub ipsis esset vera Ecclesia, quia sedebant in cathedrâ Mosis, Matth. 23, 2, 3.

XIII.

Et sicut Luna non semper plena est, ita Ecclesia quandoq; valde obscura est, adeo ut i. Reg. 19, 10. Elias eam se vide re suo tempore posse negare, quam etiam faciem sub Arianiis & paulò ante Lutherum habuit, & nunc in multis locis habet præsertim extra Europam.

XIV.

Quid autem nobis ogganiunt Pontificij de ordinariâ Sacerdotum in Ecclesia Romana successione, & de unione membrorum cum Pontifice Romano, pro nota veræ Ecclesiæ acceptandâ, si modò illud Tertulliani jactatum audire voluerint, non ex personis fidem, sed ex fide personas probari debere? Nos enim accipimus unionem membrorum, & concordiam in doctrinâ Christi, Prophetarum & Apostolorum Eph. 2, 20.

Ministeriale illud caput universæ visibilis Ecclesiæ & primatum Papæ cum ordinibus illis Hierarchiæ Pontificiæ Ecclesiasticopoliticis factæ scripturæ ignota & contraria pronunciamus.

XV.

Nec est quod novitatis nostras Ecclesiæ accusent Pontificij, cum Ecclesiarum nostrarum doctrinæ communicent cum Ecclesijs Propheticis & Apostolicis, sicut de suo tempore de præscript. loquitur Tertullianus, id quod doctrina Pontificia nec facit, nec demonstrare potest, quia in primis de justificatione in consanguinitate doctrinæ cum Propheticis & Apostolis non conspirat.

Extra-

Ecclesia non
semper floret.

Ordinaris suc-
cessio Episcopo-
rum non est no-
ta vera Ecclesiæ

Ecclesia Luthe-
rana false ac-
cusingur novitatis,

XVI.

Extranœi enim sunt vocandi, quotquot prorsus diversam
Prophetis & ab Apostolis doctrinam docent, etiam si in ipsis
cathedris Apostolorum sedeant.

XVII.

Illam Romanam agnoscimus Catholicam, Apostolicam
sanctamq; Ecclesiam, quæ & qualis ab Apostolo in Epistola
ad Romanos delineata est.

Quæ Romana
sunt vera Eccle-
sia.

XIX.

Sicut ergo à verâ Ecclesiâ nemo sine justitâ salutis æter-
næ secessionem facere debet, quia extra Ecclesiam non est
salus, ita à falsa omnino fugiendum est Ioh. 10, 5. alienum non
sequuntur 1. Cor. 10, v. 14. fugite ab idolorum cultura, 2. Cor. 6,
v. 17. Exite è medio eorum & separamini Apoc. 18, v. 4-5. Exi-
te ex illâ Populus meus.

XI X.

Resissimè igitur fecerunt Ecclesiæ nostræ, quod doctrinam
Antichristi Romani impuram deseruerunt, quia invocatio
sanctorum, sacramentorum depravationes & mutilationes,
sacrificia pro vivis & mortuis, clavum abusus ad deponen-
dos Imperatores Reges & Principes terræ, cœlibatus sacerdo-
tum, purgatorium, indulgentiarum nundinationes & simi-
lia quamplurima vi obtruduntur.

An reticere-
runt Lutereni
descendentes à
Papatu.

XX.

Ac quemadmodum tempore Eliæ 1. Reg. 19. pauci veri
pij cernebantur, ita nihil refert, quod in papatu & quidem
etiam sub papatu sanctus, sed tamen parvus cœtus fuit Ec-
clesia. Nec enim unquam numeranda, sed ponderanda sunt
membra verâ Ecclesiæ, Nam nec multitudo nec tamen et-
iam paucitas est nota verâ Ecclesiæ.

XXI.

Errare autem posse, & errare & erravisse visibilem Ec-
clesiam,

An Ecclesia errare posse.

clesiam, quorum opus est demonstrare ei qui modò Ecclesiam tempore Aaronis in deserto Exod. 32 & duodecim Apostolorum Matth. 18 considerabit, qui nèuos suos in summis fidei articulis habuerunt, ideoq; à Deo & Christo reprehenduntur.

XXII.

Prædixit etiam Apostolus, futuros semper, qui etsi retinent fundamentum, tamen non semper superadifcent aurum. 1. Cor. 3, 12.

XXIII.

An sedentes super ordinaria sede Petri possint errare.

Putidum est, docere, sedentem super cathedram Petri errare non posse, cùm sedentes super sede Hierosolymana sèpè erraverint gravissime, Matth. 22. cumq; contrarium doceat Marcellinus, qui gentium idolis sacrificavit, Honorius qui fuit Monotheleta, Liberius Arianus, Iohannes 22. qui negavit immortalitatem animarum, item aliquot magi & scelerati alij, de quibus multa ex Platina proferre poteramus.

XXIV.

Quid multis opus est, ideo post traditionum carecta latere gestiunt Pontificij quoties à nobis urgentur, quod conformem doctrinam suam scripturæ sacræ non esse videant.

XXV.

An Petrus Primatum super Apostolos habuerit.

Petrum accepisse dominium super reliquos Apostolos, adeoq; Papæ successori ex illo fundamento competere generali inspectionem totius Ecclesiarum militantis, præter omnem scripturam & contra omnium veterum historicorum fide digna monumenta asseritur,

XXVI.

Nec sanctorum Filii sunt qui tenent loca sanctorum, sed qui opera eorum exercent, nec cathedra sacerdotem, sed Sacerdos cathedram facit, sicut nec locus hominem, sed homo locum sanctificat Distinct. 40. cap. Multi Sacerdotes,

Quin

XXVII.

Quin potius, quæ in sacris literis de Antichristo prædicta
commemorantur, in Thaide Babylonica completa fuisse ex-
perimus. *Dan. 7, 25. 2. Thef. 2, 4.*

An Papa Rom.
sit Antichristus.

XXIX.

Illud enim, *Matth. 16, 18. tu es Petrus, & super hanc petram*
adificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prävalebunt
adversus eam, quantoperè juvet Pontificios, vel Tyroneos judi-
care possunt.

Tu es Petrus, &
super hanc Pe-
tram.

XXIX.

Si enim *Ambrosium in 2. cap. Eph.* audire volunt, adificatur Ecclesia in petrâ, hoc est, in catholicâ fidei confessione ad vitam, ipso lapide angulari Christo atq; hunc sensum maximè evincunt proximè antecedentia, dum de fundamento fidei Christianæ quærit, quemnam jam tandem confiteri Christum velint Apostoli, & post acceptam respositionem statim subjicit, quod super eandem confessionem suam Ecclesiam adificare velit.

Ambrosius Me-
diolanensis Epi-
scopus in Italiâ
circa annum
Christi 380.

XXX.

Et licet Christus Petrum vocasset Petram, in illis verbis,
super hanc petram, tamen nihil quicquam illud juvaret Pontificios, siquidem non respectu privatæ ipsius personæ, sed intuitu ibi præcedentis professionis, & paulò anteà editæ confessionis, adeoq; respectu doctrinæ & fidei petram indigitasset.

Si Petrus voca-
tus fuisset à
Christo Petra-,
quid hoc Ponti-
ficios juvaret.

XXXI.

Sicenim eodem respectu Ecclesia dicitur extructa super fundamento Prophetarum & Apostolorum sub Christo angulari lapide *Eph. 2, 20.* & nova Ierusalem habet 12 portas qui bus inscripta sunt, 12 tribuum noniua *Apoc. 21, 9.* unde pluri ma consequeris Ecclesię Novi Testamenti, tandem etiam triumphantis capita, nisi fundamentum de doctrinâ & confessione interpretatus fueris.

B

Sed

XXXII.

Sed valeat apud Adversarios vel solius Lyrae explanatio, qui ita scribit, Et ego dico tibi, id est pro te & sociis tuis, & quia tu es Petrus, id est confessor petrae vere, quia, & Christus, & super hanc petram scilicet, quam confessus es, id est, super Christum adiscabo Ecclesiam meam.

XXXIII.

Non loquimur hic de ordine inter ministros verbi, quod honore alter alterum prævenire debeat, quodq; in conventu necessarium sit, ut unus quispiam primum locum occupet, & vel alios de sententiâ suâ interroget, vel ipse tuam primus dicat.

XXXIV.

Neg, de illo verba facimus, quod veteres quidam ad tales ordinem respicientes, Romanum quondam Pontificem, propter imperialis urbis Romanæ dignitatem superiori & priori loco dignati fuerunt.

XXXV.

Neg, de hoc questio est, utrum sive summo sive infimo aliqui Pontifici vera & salutaria docenti sint aures præbendæ, & num ipsorum doctrinam ex verbo Dei profectam recipere debeat vel una particularis vel universalis Ecclesia.

XXXVI.

Hoc, hoc vero est γρέμενον, num sedi Romanæ, prioritas & potestas, quam supra omnes, & in omnibus temporalibus & spiritualibus inique sibi sumit, unquam collata vel indulta sit.

XXXVII.

Eccè enim quanta arrogantia in Glossa arrogantissima in Decretal. C. solita: Cum terra sit septies major Lunæ, Sol autem octies major terra, restat ergo ut Pontificalis dignitas quadragiges septies sit major regali dignitate.

XXXVIII.

Et ibidem: quoties aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad judicium sedis Apostolicae recurrentum, esse cuius sententiam qui superbens contemnerit observare, mori præcipitur.

Quan-

Oppugnando pri-
matum Papæ no-
n oppugnamus or-
dinem & bono-
rem ministrorum
verbi, presertim
superiorum pre-
alios.

Quemnam pri-
matum Pape
impugnet Ecclæ-
sia Lutherana.

XXXIX.

Quanta arrogantia, quod *Hillebrandus seu Gregorius 7.*
auctore Platina in eâ execratione, quâ Regem Henricum di-
ris devovet, Petrum & Paulum invocat, ut citò exerceant
judicium in Henricum, & quod *Clemens sextus* in bullâ de an-
no jubilæo ait, Concedimus quod si verè confessus in viâ mo-
riatur, quod ab peccatis sit immunis penitus & absolutus, &
nihilominus prorsus mandamus angelis paradisi, quatenus
animam à purgatorio penitus absolutam, in paradisi glori-
am producant.

*Excerandus fa-
tus pontificum
Romanorum.*

X L.

*Et quod idem in aliâ bullâ ait, nolumus quod in inferni pœ-
nasibi aliquatenus infligatur, Concedimus insuper cruce si-
gnatis ad eorum vota tres aut quatuor animas, quas vellent,
è purgatorio posse eripere &c.*

X L I.

Ecce tibi primatum Papæ complectentem prærogati-
vam, ut sit caput universalis Ecclesiæ, & habeat potestatem,
non in terris tantum, constituendi regna politica & guber-
nandi Ecclesiastica, verum etiam in cœlis, mandandi ange-
lis, liberandi animas è purgatorio, & beandi ac damnandi
quos lubet.

*Quid proprièt̄ sit
primatus Papæ.*

X L II.

*Bonifacius quoq; octavus lib. 6. titulum de constitutionibus
sic incipit: Licet Romanus Pontifex qui jura omnia in scri-
nio pectoris sui censemur habere, constitutionem condendo
posteriorem, priorem quamvis de ipsâ mentionem non fa-
ciat, revocare noscatur, &c.*

X L III.

*Gelasius 9. q. 3. cuncta; Cuncta per mundum novit Eccle-
sia, quod lacra sancta Romana Ecclesia fas de omnibus ha-
beat judicandi, neq; cuiquam de ejus liceat judicare judicio.*

XLIV.

Etsi autem libenter concedimus, initio fuisse piis & honestos, veritatisq; cœlestis studiolos homines in cathedrâ Romanâ (quas autem posteri eis affinxerunt Epistolæ, omnino commentitias esse pronunciamus) tamē maxima pars Antichristianico furore veritatem est persecuta ebriæq; facta in sanguine agni & eorum qui sequuntur agnum. Apoc. 17, 6. ¶

Guicciardini lib.
¶ ad ann. 1489;
Omnes Pape us-
que ad sylve-
strum per 300.
annos scilicet
usq; ad Constan-
tinum Magnum
fuerunt Mari-
res.

¶ 4.

Argumentum
pro primatu Pa-
pe politicum.

XLV.

Hi igitur non voluerunt esse Magistri & Patres honoris tantum & ordinis, sed plenariae auctoritatis & potestatis gratia, ut quicquid statuerint, agnoscamus pro oraculo spiritus sancti & ex eorum arbitrio toti in hoc negotio pendeamus.

XLVI.

Vnicum speciosum est, quod pro capite universalis Ecclesie ex ratione (nam scripturis sacris nullis hac in parte juvari possunt) petitum proferre & urgere solent.

XLVII.

Confusionum inquiunt, omnia futura sunt plena, si in terris nullum fuerit externum Ecclesie caput, & nullus universalis Pastor. Et vel nullies interea pessum ivisset, interiissetq; Ecclesia, nisi sub hoc omnis concordia vinculo conexa servaretur.

XLIX.

Quasi vero veteris & novæ Ecclesie fundamentum angularis lapis accaput & petra Dominus noster Iesus Christus Pastoris seu ἀρχιπολέμου officio defunctus, extra Ecclesiæ militantis, pomœria in novo testamento, in tertij cuiusdam ecclii abdita detrusus nobis præstò non esset, quasi iste non singula cerneret & dirigeret, quasi in defectu ordinariorum ministrorum ex lapidibus istis quibuscunq; vel alios excitare nequeat. Apoc. 1, 13. Matth. 18, -0. ¶ 28, 20.

Simi-

Rifson.

XLIX.

Similes igitur sunt Pontificij Israëlit's illis, longè post egressum ex Aegypto suā temeritate, erga Deum diffiden-
tiā & arrogantiā Regem sibi creari & præfici postulantibus,
cum anteā sub septuaginta seniorum & particularium Magi-
stratum gubernatione, & sub judicib'us quandoq; electis,
Deus Regem eorum se profiteretur, *1. Sam. 8, 5. & 1. Sam. 12, 12.*

L.

Sicut igitur tunc melius quam sub Regibus habuit poli-
ti Mosaica *Iudic. 2, 16-17. 18-19. Iudic. 8, 22-23.* ita sine dubio
Ecclesia optimè habuit, habet, habitura est sub Ministris uni-
co generali capiti externo nequaquam obstricatis.

LI.

Sicut etiam hodiè congregatis in legitimā synodo omnes,
etiam ipse Romanus Episcopus sese subjecere debent, ita
tunc septuaginta senioribus ipse summus Sacerdos, adeoq;
ipse Rex erat subiectus, ne à sacerdote superiore argumen-
ta pro primatu Papæ petitum veniant leſuitæ *Deut. 7.*

LII.

His ita præmissis, ut ad Deuteronomij caput quasi rever-
tamur, quilibet nobis tacentibus intelliget nihil homini æ-
ternæ sua salutis cupido per totam vitam adeò incumbere,
quām ut diligentissimè cogitet & inquirat de verâ Ecclesiâ,
inventamq; adeat, ametq; perseveranter & non hypocritice.

LIII.

Hæc enim est illa de quâ Esaias : Ecce in manib'us meis
descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.

LIV.

Dumq; verò Ecclesiæ membrum esse cœpit, caueat quām
maximopè, ne ab unitate ipsius ullà ratione sese seduci pa-
titur, quin potius omnibus viribus alijs convertendis insi-
stat, scandalisq; eradicandis invigilet.

Ecclesia Moſati-
ca melius habuit
sub particulari-
um imperiorum
magistratum
gubernatione
quam sub regibus

Summus Sacre-
dos in prima-
Mosaica non
habuit tamam
potestatis pleni-
tudinem, qua-
tam Romensis
Pontificis sibi ra-
pitis.

LV.

Quatuor man-
derunt Israëlitis
adversus Cana-
næos, Deut. 7.

Porro capite septimo traduntur Israëlitis quatuor modi,
quibus sese ab idolatriâ immunes præstare queant, nimirum
1. ut interficiant idolatas Chananæos 2. ut declinent civilia
pacta cum Ethnicis quovis tempore relictis in Chananæa
post ingressum ipsorum 3. ut connubia ipsorum non ambi-
ant 4. ut etiam idolorum Ethnicorum materiam elementa-
rem residuam manere ne patientur.

LVI.

Antequam autem de his quatuor modis ordine dissera-
tur, ante omnia scitissimè considerandum, quinam in specie
sint isti peccatores, & quam impij & quamdiu impij. Non
enim jubet Deus omnes idololatras interficere, sed tantum
modò certam speciem, Chananæos nimirum, de quibus in
hoc capite agitur.

LVII.

De Chamo Filio Noë impio præcedenti disputatione
dictum fuit: qui nihil meliorem in religione & moribus Fi-
lius Chanaenæ habuit, sicut optimè colligitur, quando
Gen. 9, v. 25. divinitus etiam Filius ille maledicitur.

LIX.

Populi Cananæi
qui?

Ex Chanaane quinam progeniti fuerint *Gen. 10, 15, 16, 17.*
proponitur, nimirum imprimis Sidon, unde Sidonij, Heth,
unde Hethæi, Iebusi unde Iebusæi, Emori, unde Amorrhæi,
Girgasæi unde Girgaseni, Hivi, unde Hivæi, Arzi unde Phe-
rezæi &c. Etsi autem omnes in genere dicebantur Chana-
næi, tamen mansit etiam specialis populus, de ipso Chanaan
cognominatus Chananæi.

LIX.

Ibidem Chananæorum omnium fines determinantur à
Sidone dum vadis Gerar usq; Aza (est Gaza) donec ingredia-
ris Sedom & Amorrah (Gomorra) Adma & Seboim usq; ad
Lesæa. v. 19.

Septem

LX.

Septem igitur imprimis commemorantur populi Chanaeū, Hethai, Iebusai, Emorhai, Gargaseni, Hivai, Pherezi, qui cœlesti oraculo proscribuntur *Deut. 4, 10. 3, 10. Act. 7.*

LXI.

Religionem istorum quod attinet, Deos colebant alienos, de quibus dictum est disputatione tertia, hoc est, Diabulos hostes Dei creatoris & totius generis humani, quibus altaria, & statuas, & lucos & sculptilia constituebant *Deut. 7, 4. 5, 15.* filios & filias traducebant per ignes, erant divinantes divinationes, præstigatores, augures, malefici, incantatores, magi &c. *Deut. 18, v. 9. & seqq.*

*Religio Chanaeū
neorum quæ
fuerit.*

LXII.

Etsi autem sub tempore mortis Noe, adeoque sub Abrahame ætate circa annum mundi 2000, vindictæ divinae severitatem meriti fuerant, tamen iisdem plusquam 400 annorum aliorum metam & pœnitendi spacium concedit *Gen. 15, 6.* cum dicit, iniquitatem Emorrhœorum nondum esse completa, hoc est, se ita patienter cum eis aucturum, ut tandem satis diu expectasse fateri necessum sint habituri.

*Summa pauperis
Supula Dei:*

LXIII.

Accessit & hoc, quod Abrahæ majores, ex Sem nimirum oriundi, cum ex tenore institutæ distributionis eam terram inhabitassent, per Chananæos vi expulsi fuerant, teste Glyca superius citato, unde divinitus in hanc restituebantur postri Abrahæ.

*Mores Chananæo-
rum politiss.*

LXIV.

Hos igitur impios defectores à doctrinâ Noe, & in idola-tria perseverantes, periculissimosq; tot annorum veniâ absitos populos jamdiu Deus morti adjudicat Israëlitisq; neandos commendat..

*Causa cur in-
terfici jussere
Deus Cananæos:*

Et

L XV.

Deum non iustit
ur Iudei omnes
& singulos ido-
lolatras in toto
mundo interfici-
erent.

Et hoc non generale esse mandatum de interficiendis o-
mnibus & singulis idololatris, impijsq; hereticis, sed speciale
esse mandatum de necandis idololatris Chananais nisi quis
agnoscit, is utique nihil intelligit.

L VI.

Deinde considerandum venit, num omnium Chananiorum
commercia fuerint vitanda, & utrum planè nulli Chan-
anæ ulla fuerit exhibenda misericordia. Planum autem e-
vadit, non tantum speciale, sed etiam conditionale fuisse hoc
mandatum, nimis enim nemini parcendum ex istis, nisi qui jam
mature converteretur,

L XVII.

Inter Hethæos enim erant Gabaonites Ios. 9. qui conver-
si fuerunt adeoq; superstites & tui manserunt. Auditæ enim
famæ miraculorum quæ fecerat Deus in A Egypto, omnium item
quæ fecerat duobus Regibus Sihon & Og astutè simulant
quasi ex longinquâ terrâ (nam in longinquis etiam terras fa-
ma miraculorum istorum pervenerat) profecti, venirent, ad-
eò vetera sumserant calceamenta, resarta in pedibus, & ve-
stes veteres, & panem aridum mucidumq; atq; mature fo-
dus cum Israelitis percutiunt.

L XIX.

Hi non modò mortem temporalem effugiunt, sed etiam
æternam vitam impetrant, imò non tantum in foedus recipi-
untur, verùm etiam munus Ecclesiasticum in Hierarchia Mo-
saicâ sortiuntur ut ligna cedant & aquas portent in domum
Dei, unde Nathinæ appellantur. Ios. 9. 23. 1. Par. 9. 1. Esd. 2.

LXIX.

Id adeò placuit Deo ut propter Gabaonitas aliquot à
Saul peccat gravissime occi-
dens Chananæos
penitentes.

Itaq;

Id adeò placuit Deo ut propter Gabaonitas aliquot à
Saul peccat gravissime occi-
dens Chananæos
penitentes.

LXX.

Itaq; si idem exemplum vel in extremâ horâ secuti fuissent reliqui Chananæi, etiam si forsan terræ dominium amississent, tamen vitam corporalem redimere & æternam gratitudo accipere potuissent.

LXXI.

Quo ipso iterum prosteritur Calvinianorum error gravissimus, quasi certos quosdam elegerit Dominus ad æternam vitam sine omni respectu prævisæ fidei homines, illosq; ordinatos ad vitam perhibendos esse.

LXXII.

Nemo enim ordinatus ad vitam æternam perhiberi debet, nisi qui ordinem ingrediendi vitam æternam omnibus monstratam & apertam testatur, ordinem nimurum hunc, ut se non aggreget obstinatis impijs, sed vocatus veniat, attente audiat, institutus lœtetur & perseveret, perseveranterque glorifiet Deum *Act.13, v.48.*

Qui nam sint ordinati ad vitam æternam.

LXXIII.

Eodem pacto Rahab cauponaria Chananæa, cum tota domo Patris sui per pœnitentiam servatur, tandemq; à Salomon ex tribu Iuda in matrimonium ducitur, adeoq; digna habita fuit, quæ cum Ruth Moabitide Ethnici sed conversa, & cum Bersabea Virginitate Ethnici, sed conversi conjugæ *Matth.1.* genealogia Christi implantetur. Et quia præter has tres fœminas nulla ex sanctissimis inscritur, patet quantoperè Deus gaudeat peccatorum & peccatricum conversione,

LXXIV.

Pauciores erant Israelitæ quam Chananæi *Deut.7.* ideoque si ad unum uno tempore omnes trucidati fuissent Ethnici, terram eorum completere non potuissent, & ita bestiæ multiplicari valuissent; rudi populo obtendendum fuisse

*An una vice
Chananæos de-
lere debuerint
Chananæi.*

C

scribant

scribunt docti, quia à bestijs facilimè servare potuisset, quos
à tot hostibus & gigantibus liberaverat.

LXXV.

Præterea paulatim & per partes Chananæos delendos
mandare & polliceri videtur, num interim ex infeliciū
exemplo, superstites sanam mentem sumere velint?

LXXVI.

Voluit igitur Deus ut paulatim eos extinguerent, ad-
eoq; ad tempus ferrent inimicos suos, non verò ut in perpe-
tuum ijsdem parcerent, *Ios. 23.13. Iud. 3, v. 1.* Hoc enim cum
contra Dei mandatum fecerint, ijsdem malè cessit, ut ni-
mirum Chananæi fierent laqueus & offensio, qua tentaban-
tur Israelitæ, nūm Deo obedire, vel non obedire vellent.

LXXVII.

Recrissimè 1. *Sam. 27.* David fugæ & exilij sui in Siag
tempore, ubi ex rapto vivere cogebatur cum suis, huius
mandati memor, non intulit injuriam alijs sed excursionem
fecit in Gessuri, Gezri, Amalekitas, ubi plurimos cædebat,
quos ex hac gente residuos norat, & quos necare ipsi tan-
quam Regi licitum erat, imò ex hac lege speciali, de quâ jam
loquimur incurribebat.

LXXIX.

Salomon ignavior aut imbecillior respectu hostium fa-
ctis reliquias contra DEI mandatum tandem sibi fecit tri-
butarias, unde magnorum peccatorum occasiones exte-
runt, 1. *Reg. 9.2. Par. 9.* Intempestiva clementia & misericor-
dia contra Deum sit crudelitas contra posteros, adeò ut infa-
libus parcere sit fideles devastare.

Quod

An exusaria
fuerit David,
sempore fugae
sua, rapiens &
interficiens;

Intempestiva
clementia.

LXXIX.

Quod de interficiendis Idololatris Chananaeis dictum est, illud quoq; ad totum cap. 13. Deut. de occidentis Pseudoprophetis idololatricis, de occidentis cognatis idololatricis, de delendis urbibus idololatricis pertinere sciamus, nimirum non utendum hac severitate in illos ullis nisi illis solis quibus lex ista specialis promulgata fuit, quos eduxit DEVS ex AEgyptiaca servitute Deut. 13, ver. 5. 10. & quidem non nisi erga illos qui ibidem expresse definiuntur, erga Prophetam in medio Iudeorum, erga fratrem tuum Iudeum, erga unam urbium tuarum, scilicet ut subjicitur cap. 13, v. 12. quam Iehova Deus tuus dat tibi, ut habites ibi.

LXXX.

Cum enim populus Israeliticus deberet esse publica schola, unde totus orbis veram sententiam de vero Deo, & de vere cultu veri Dei deq; vitando cultu dæmonum disceret, imprimis decebat depravationibus ejusdem doctrinæ praescindendis remedium praescribere acrius, quale post μοχολα-ρην adhibuit Deus ipse Exod. 32, v. 27. item post fornicationem & idolatriam Num. 25, ver. 9. Deut. 4, v. 3. quale Elias renovavit 1. Reg. 18, v. 39, interficiendo Sacerdotes Baal, quale statuit Iehu Rex Israelis adversus Sacerdotes Baal sub calida simulatione religionis Baaliticae in templum Samariae convocatos 2. Reg. 10. quale item Iosias erga Sacerdotes excoelorum 2. Reg. 23.

LXXXI.

Non habuerunt igitur Iudei mandatum necandi Idololatras gentes omnes, sed tantum Chananeas, neq; potestatem acceperunt perdendi idololatricos Prophetas, cognatos, cives alios, nisi intra suam politiam.

De interficiendis Pseudoprophetis, item idololatricis cognatis et urbibus præceptum quale

Ratio legis de necandis Pseudoprophetis et idololatricis cognatis atq; urbibus in Mose..

Confirmatio ex- plicationis legie de necandis ido- latris Iudeis.

LXXXII.

Neq; unquam Iudæi leguntur extra terram suam exerce-
cuisse illam sibi hoc loco communicatam potestatem, quid
quod alioquin à Iudæis fuissent tunc temporis & postea vin-
dicandi Idololatriæ in singulis politijs totius orbis terrarum,
Sicenim præcipitur si audiveris de unâ urbium tuarum, per-
cutiendo percutes habitatores urbis illius. Sed nimis multa
audiebant vel quotidie Israelitæ de Idololatriis infinitis ur-
bibus.

LXXXIII.

Respexit Deus illud quoq; errorum & scandalorum oc-
casiones severè & mature removendas & principijs ob stan-
dum esse, ne pars sincera trahatur, cùm quotidiana stultorum
magistra testificetur, quod una morbida facta pecus totum
corrumpat ovile, & quod paululum fermenti totam massam
commoveat, ut de Corinthio incestuoso loquitur Paulus
i. Cor. 5. 6.

LXXXIV.

Optime autem notandum capite decimo tertio Deutero-
nomij adjudicari extremo suppicio non quosvis errantes, sed
tantum illos, qui ipsi alienos Deos sibi assumpserunt & colunt,
& qui eosdem alij quodq; colendos suadent, ut μοχολάρει in
deserto Exod 32, ut poterunt esse illi de quibus e. Par. 15. &
imprimis de quibus agitur Dan. 3, 96. unde in idolatriam rela-
psi plures fuissent, qui vix jam extracci erant. Tunc enim de-
cipientes utuntur multis rationibus, quibus veri Dei maje-
statem solam tremenda apud imperitos & infirmos blasphem-
ie deprinat & extenuent, contra Dæmonū sub Idolis Ethni-
cis dominantium technas & vires exornent, cōmendent, am-
plificent, sicq; blasphemii Apostataræ & dæmonū servi ipsi bla-
phemos Apostataras & dæmonum servos plurimos reddant,
unde tandem generalis apostasia Ecclesiæ totius & dæmoni-
orum cultus universalis sequi solet;

Caterum

*Quid ex lege de-
necandis idolo-
latriis Christiani
colligere debet.*

*Qut idololatre-
interficiendi
apud Iudeos.*

LXXXV.

Ceterum in novo instrumento huius ipsius severitatis zelum aliquando secuti fuerunt plurimi Imperatores Romani, post veram ad Christum conversionem, sicuti Constantinus Magnus capitulare sanxit penitentiam qui blasphemari Arii scripta esent occultaturi, apud Niceph. lib. 8, cap. 18. 25. & Constantinus sacrificiis ethniciis seu Diabolicis addictos gladio ultore iussit prosterni C. lib. 1. tit. 11. c. placuit; & alia prostant exempla tit. 5. l. Arian. item l. Manichaeos l. ubicungz sicut item Iustinus Imperator circa annum Christi 526 Manichaeos blasphemos in Persia delevit; quod Filium in suam sententiam per taxi sent.

LXXXVI.

Verum enim vero quia lex de interficiendis idololatriis ad politiam Mosaicam apertis verbis astringitur, nec in novo repetitur, non errant qui illam ex istarum legum numero nobis praesertim in Novo Testamento esse habendam scribunt; quas extra & post destructionem politiam Mosaicam præstare non est necesse.

LXXXVII.

Accedit illud quod in Novo Testamento cesset ratio legis istius de necandis idololatriis. Nam in novo Testamento non est constitutus unus certus locus pro certa Academia in usum totius mundi, sicut olim Hierosolyma & Iudea magna religiois toti orbi esse debebat Ioh. 4, v. 22. salus ex Iudea est, Rom. 9, v. 1. & seqq.

LXXXIX.

Cum igitur sub tantarum penarum combinatione idolatria in illa Academiâ prohibita fuerit, ut non modò labes non manaret in totum mundum, sed ut potius veritas inde in universum orbem propagaretur, & vero cum hodiè ut & ubi vis

De pena idolatriarum & hereticorum in novo testamento.

Quod lex de necandis idololatriis & hereticis ad verbum non sit servanda in novo testamento.
Ratio 1.

Ratio 2.

locorum veri adoratores adorent Deum in spiritu & veritate, idcirco lex illa in totum cessat. Ioh. 4, 23.

LXXXIX.

Lutherus,

Lutherus quoq; Tomo 12. G. VV. fol. 211. in responsionibus ad tres quæstiones VVenceslai Linck, vel ideo in hanc sententiam de non interficiendis hæreticis concedit, ne velim primis Antichristi Romani veræ Ecclesiæ titulum sibi solis rapientes, inde occasionem capient perdendi & interficiendi dissentientes, adeò ut sanctorum sanguine inebriantur Apoc. 17, v. 6.

XC.

Quomodo obviandum hæresibus seu falsis & novis opinionibus, in novo Testamento.

Interim tamen hæresibus seu falsis & novis opinionibus, presertim adversus fundamentum fidei Christianæ celeriter obviandum esse fatemur cum Augustino Epistolâ 91. & quidem modis qui sequuntur,

XCI.

Hæreses enim omnes de Ecclesiâ exeunt, inquit idem Augustinus, sicut sarmenta de vite, quæ nimis vitiis incrementa impediunt, nisi rescantur.

XCII.

Augustinus,

Ante omnia igitur secundum Augustinum adversus Cresconium lib. 3. c. 50. homines sunt diligendi, errores abominandi: errores interficiendi non homines.

XCIII.

A minori ad maius omnibus & singulis, non tantum concionatoribus hoc dicitur.

Et quidem cum bovem fratris vel inimici, agnum item aberrantes reducere teneamur Exod. 23, ver. 1. Deut. 22, ver. 1. multò magis opera danda est, ut animas in errorum ambagibus periclitantes, in veritatis & justitiae semitam reducamus;

XCV.

Hoc fieri, quando assumetur spiritus Christi, qui est spiritus dilectionis, mansuetudinis, humilitatis & beneficentia sine acer-

ne aceritate animi ab alienati & verbosi contentiosorum
verborum maledictione, confusionem, non emendationem
errantium spectante, quibus alter magis irritatur quam e-
mendatur.

XCV.

Repetantur autem admonitionum istarum gradus &
declarationum perspicuarum & us sapienti numero, cum nihil
quicquam dulcius contingere possit Christiano, neq; in ex-
tremo die magis honorificum sit futatum, quam multos do-
cuisse viam ad veram iustitiam de verâ fide Dan. 12. sed repe-
rientur duorum generum errantes.

XCVI.

Quidam enim inter hereticos sunt placidi & modesti, nec
sine vocatione sese alicubi implicant, nec contra decretum
& prohibitionem legitimam Magistratus, vel in suis, vel in a-
lienis territorijs haeresin spargunt, neq; publicum cœtum co-
vocant, neque pacem publicam & concordiam perturbant,
neque apud rude vulgus publicè vel privatim veram reli-
gionem, in suspicionem impietatis & haereses vocant. Cum
istis mitiis est agendum, & sufficit eos, præsertim initio solo
verbo aggredi.

XCVII.

Admonitionibus, colloquijs, dehortationibus, nihil pro-
ficiuntibus, & scandalo apud plebeios, periculoq; crecente,
ad depositionem veniendum.

XCVIII.

Quidam vero sunt immates, immodesti, furiosi & rabiōsi, qui
sine venia contrâ decreta & prohibiciones, sine vocatione in
alienis ditionibus populum convocant, haeresin propagant,
pacem & concordiam publicam turbant, religionem veram
dubiam reddunt, insuper petulantî leuitate verborum in-
anum, & intolerabilibus blasphemiarum horribiliū di sterijs
proscin-

Quales se gerere
debeat, si qui
errantes conver-
tere volunt.

Gradus admoni-
tionum erga er-
rantes usurpandi

Quid agendum
cum modestis
hereticis.

Quando multan-
di & ejiciendi
sint hereticis.

Quid agendum
cum immodestis
& rabiōsi her-
eticis.

proscinduntur ad personalia devolvuntur, sufficienter audi-
ti, fraternè, paternè & perspicue instruci tamen non cedunt,
immo interminations necessarijs, de caussi sadhibitas con-
temnunt.

X.CIX.

Pro delictorum igitur horum gradibus & enormitate
dispari, etiam in N.ovo Testamento hi hæretici, non tan-
quam hæretici, sed tanquā seditiosi, turbatores publicæ tran-
quillitatis & concordiæ scandalorum maximorum autores,
refragantes edictis Principum, πολυπείρημοι pertinaces &
scientes blasphemī, ac eversores benè constitutarum & flo-
rentissimarum Ecclesiarum vel multa vel exilio vel carcere,
vel etiam gladio digni, adeoq; omni jure plecti possunt, præ-
sertim si sapienter admoniti, edictis territi, tamen contumaciam
corrigerem nolunt, & plures in blasphemias suas perducere
pergunt.

C.

Vnde Epistola so Augustinus Donatistis violentiam in-
super inferentibus, multam pecuniariam indicendam judi-
cat. In hoc enim Reges Deo serviant in quantum Reges
sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non lo-
lum quæ pertinent ad humanam societatem, verū etiam,
quæ ad divinam religionem, secundum eundem lib.3. contra
Cresconium Grammaticum cap. 5.

C.I.

Sic Theodosius omnes orthodoxæ fidei non consentien-
tes urbibus ejecit apud Socratem lib. 5. cap. 10. sicut Martianus
Eutycheten & Nestorium; sic locus etiam ubi convenerant
hæretici, antiquitus fisco fuit applicatus.

C.II.

Sed ad altiora. An non execranda & scandalosa fuit
idolatria, quod David Georgius seipsum fecit Messiam, &
pro Messia habitus fuit à Discipulis, nostrorum avorum me-
moria

N.B.

Augustinus.

Confiscatio loci
ubi conveniunt
hæretici.

David Georgius
seje pro Messia
penditavit.

udi-
unt,
con-

itate
tan-
ran-
ores,
es &
t flo-
cere,
præ-
ciam
icere

n in-
judi-
reges
on so-
ciatiam,
contra-

ntien-
tianus
erant

a fuit
m, &
m me-
moriā

moria combustus Basilex, postquam biennium cum semisse anni jacuerat in sepulcro, quo ipso tempore sese resurrectum post mortem in vita prædixerat.

CIII.

An non diabolicas effutiverunt blasphemias his annis proximè elapsis benè multis Antitrinitarij, per cerberum tricipitem, triceps monstrum, tres species dæmoniorum, diabolam ideam, fabulosam Chimæram contra toties emissas ad ipsos dehortationes, qui saltem rudibus parcere debuissent, ne planè in atheismum prolaberentur illi, & quasi sine columnis & blasphemis disputatio Theologica institui non posset,

Antitrinitariorū
blasphemie.

CIV.

An non diabolica multa Anabaptistæ Avorum & Abavorum nostrorum memoria tentarunt, qui cum Rusticis suis contendebant, se vocatos, ut impios Principes gladio Gideonis interimerent, qui tantummodo visionibus cœlestibus cœlestis Patris, id est, Diaboli prostrati in terram intrabant, nunquam concionari volebant, deq; Biblijs sacris nefariè crocitabant, Bibel Babel Babel, Babel, qui relictis omnibus uxoribus, agris, opificijs, sine calceo, perà, baculis, pecuniâ circumcurrebant, quorum aliqui Ecclesiam tam puram querabant, ut in oratione Dominicâ omitterent verba, Dimitte nobis debita nostra, qui omnia communia haberi volebant, ut in politiâ Platonicâ, quorum aliqui nudis corporibus incidebant, nudi conjuges publicè copulabantur, nudi saltabant, quorum aliqui carnem Christi in verbum mutatam, id eoq; non superesse, imò maledictam carnem Mariæ proclamabant, & quis totum stabulum Augiæ commovere velit.

Anabaptistarum
furores.

CV.

Quæ cum ita sint, mirari desinat omnes, cur anno Christi 1529 in comitijs Spirælibus in genere adversus Anabaptistas

Cur anno Christi
1529 imperium
Romanum mor-
te dignos Ana-
baptistas procul-
etaverit.

D necan-

necando constitutionem Imperator Romanus Ferdinandus decretam promulgaverit.

C VI.

Quid enim sub istis furijs & interistas diras salvum manere possit, in status Ecclesiastici, Politici & Oeconomici evagia?

C VII.

Sed ne ipse haereticus Magistratus hac autoritate abutii adversus veræ Ecclesias doctores queat, fundamentum huius cōsilij est, ut verè sit haereticus, aduersus quē processus aliquis ex istis instituetur, unde lib. 2. contra secundam Gaudentij Epistolam cap. 26 ita Augustinus addit: Quandiu vos non tenetis Eccleiam quam prænunciaverunt Piscatores, Apostoli plantaverunt, tamdiu Reges qui eam tenent, reūssimè ad suam curam judicant pertinere, ne vos aduersus eam rebelletis impunè.

C VIII.

Et ad secundum atq; tertium capituli septimi membrum quod attinet, mandatur, de omnibus Chananaorum conversationibus & conjugijs fugiendis. Id quod æque atq; primū de interficiendis Chananais valde speciale est & tamē vicissim non extendendum est ad dociles & tractabiles, adeoq; ad supplices, & colloquia propter veritatem inquirendam expertentes.

C IX.

Cum autem Dominus hoc in loco commercia & foederacum Chananais ideo interdixerit, ne ex familiari ulu ad eandem assuefierent iniquitatem Iudei: siccirò hoc morale in novo testamento residuum mansit.

C X.

Habemus testem & interpretem Apostolum 2. Cor. 6, 14. & seqq. Nimirum Ethnici idololatræ adhuc sub novo testamento, quando idolis suis sacrificabant, amicos & cognatos suos Evangelium amplexos ad sacrificiorum communia convivia invitabant.

Ibi

Qui heretici
multandi aut
ejiciendi sint.

¶ C 3. Lex de
vitande com-
mercijs & con-
jugijs Chan-
anorum qualis
habenda.

CX I.

Ibi quamplurimi incauti parum referre putabant, interesse sacrificiorum epulis, quam cunq; quisq; religionem integrum foyeret, quo pacto gloria Dei ladebatur, veritas obscurabatur, religiones confundebantur, confirmabantur impij in idololatria, immò contemtus religionis omnis exoricbatur una cum securitate carnis & impia profanitate.

CX II.

Ab eis modi congressibus & societatibus, ubi participiantur illa, quae idolis immolata fuisse aperte indicatur nobis ab alijs, omnino diligenter cavendum esse gravissime admonet 2. Cor. 6, 14. & 1. Cor. 10, 8. ne scienter idolothya edendo religione in Ethnica approbare videantur.

CX III.

Cum verò uno sole, aere, cibo, potu, terra, aqua, urbe & sè numero rep utamur, immò cum plerunq; ab impijs rerum potentibus necessaria petere cogamus, sciendum est, non omne commercium cum impijs prohiberi, sed tantum illud, ut loquitur Apostolus loco allegato, ubi jugum ducitur alienum cum infidelibus, hoc est, ubi impij corantur nos aliena jugo religionis implicare neglego Christi jugo, aut nos ex quotidiana consuetudine incipimus dubitare de nostra fide, ut cum ipsis in impietate tandem consentiamus.

CX IV.

Si etiam post foedera & commercia conjugalia jam modo contracta pars altera sit infidelis, rumpenda ea non sunt 1. Cor. 7, 21. 3. 1. Pet. 3, 12. ita tamen ut fidelis suam confessionem aperte urgeat, & constanter retineat.

CX V.

Si etiam nec metus ullius seductionis nec suspicio collusionis sed potius certa spes docilitatis, potest firma persona

D 2 con-

Cultibus divinis
Ethnicorum in-
teresse non licet,
nec probare ge-
nerales & am-
biguas adverfa-
torum confessio-
nes. Sie tuam
sententiam oc-
cultas falsam te-
stimonia tuo or-
nat.

Omne illud com-
merciū cum
impijs est veti-
sum apud Chri-
stianos, per quod
vera religio in-
ficiuntur. &
sancti mores pol-
luuntur.

constantem ac apertam professionem veritatis retinens & edens alterius religionis conjugem ducere, hominem ad convivia & servitia vocare & sequi, 1. Cor. 10, 27.

C X VI.

Si verò alieni à vera religione videantur idèò ambire piorum alioquin benè confirmatorum, ut nihil dicamus de imbecillibus, sociates & convivia & coniugia, & servitia, immò alios ideo secum assumere crebrius & familiarius, ut vel à religione verâ vel à moribus castis seducendi occasionem faciliorem habeant, convivia, conjugia, servitia, commerciaq; alia studiosius ab ipsis declinabuntur:

C X VII.

Semper enim tutius existimabunt sibi fore tam firmi quam infirmi, si in amicitia, in societatibus & federibus, in peregrinationibus, in commercijs, in matrimonij, in servicijs obeundi, domi & foris in susceptione infantium ex sacro baptismo sibi conjungant & dignentur eos, qui in cultu divino & precibus ad Deum fundendis non discrepant.

C X VIII.

In primis omnes p̄ij ab omnium falsarum Ecclesiarum Pontificiarum, Sacramentariarum, Antitrinitariorum sacramētis, & ceremonijs idololatricis, invocatione sanctorū, missis, processibus, participatione unius speciei, blasphemisq; pertinacibus alijs sibi tēperabunt nec ullos erroneos impoenitentesq; ad sacramenta veræ Ecclesiarū participanda vel suo officio cohonestanda & testificanda adiūtent, ne ceremonias approbando vel elevando, religionem ipsam approbare vel elevare videantur.

C XIX.

Ad hæreticorum & paganorum scholas, etiam liberos suis veri Christiani doctrinae cujuscunque gratiā non ablegabunt.

C X X.

Excommunicatos quod attinet, ab illis etiam tum firmi

tum

Quicunq; cum
adversarijs fa-
miliarius con-
versatur, nec ta-
men aperte edit
confessionem su-
am voram ipsis
i.e. & ipse ducit
jugum cum infi-
delibus, Ger-
rantes in errore
confirmat.

Federa omnia.
religious interci-
tum festantia
eavenda.

s &
ad

io-
im-
im-
vel
em
rci-

mi
, in
tis
ba-
no

um
ra-
ni-
sq;
eni-
suo
ni-
pare

su-
ega-
irmi
cum

nam infirmi sibi diligenter cavebunt, ut pudore suffusi, eò ci-
tius ad veræ Ecclesiæ gremium redire conmitantur.

CXXI.

Quartum & ultimum mandatur capite septimo Deutero-
nomij de aris Chananaïs subvertendis, statuis cōfringendis, de-
lubris d'ruendis, lucis succidendis, sculptilibus delendis, ita ut
idolis in totum combustis nec argentum quidem vel aurum
diripere, domuiq; alii cuius inferre fas esset.

CXXII.

Voluit hoc quoq; speciali mandato roties hastentis pe-
niciitatæ & subversæ religioni consulere in longitudinem,
novaq; ruinæ occasionem avertere Dominus per totum
mundum.

CXXIII.

In novo testamento simile mandatum non habemus, li-
cet forsæ plenus fuerit orbis terrarum aris, lucis, sta-
tuis, delubris, sculptilibus sub tempora nati Christi & prædi-
cantium Apostolorum, atque fuit circa tempora ingressus
Israëlitarum in terram benedictam ex AEgypto.

CXXIV.

Sicut igitur Apostoli idola & aras dimoliti sunt, nimi-
rum verbo, ita licet multa templo, aras & imagines Pontificij
longo tempore coluerint, tamen in reformationibus non o-
pus est ea omnia penitus destruere, sed sufficit plerasq; aras
& imagines tot cumulatas seponere; & locum veri Dei vero
cultui pijs precibus, sanctis concionibus, & devotis hymnis
consecrare.

CXXV.

Quam sedulò fugiendæ sint societas adulterorum, in-
vidorum, furum, mendacium, & similiūm, infra peculiari
disputatione ovū Deū agetur.

F I N I S

AD

IV. Mendatum
in septimo capite
Deuteronomij.



A D

Humanissimum nec non
Doctissimum Virum,

Dn. M. ERASMUM ZOL-
NERVM RATISBONENSEM,
Amicum & Sympatriotam imitùs colendum,
Theologicè in templo Arcis dissentantem.



ΣΕΑ Αὶρε μεγάλοιο θεώς κατὰ εἰκόνα Μωσῆς

Γράφε, ἐπίσαδε, ἀστερός ἐξισώσα.

Γνάνους ἡ ἄλλα, ὅσον δέ παναοίδημοι ἀνδρες ἔχεανται

Κηρυκες τεισάσθαι καλοὶ υπερέμενε.

Ειδέμεν Αντασσον κοιτάσκοντον ήθος ἔχονταν

Ενέργειας τε λόγυς κρυπταδίσεις τε δόλας.

Πολλὸς καὶ χαλεπὸς πόνος ἐστιν οὐδὲν ἀποταμένος.

Φίλαραί τε θεάπια γῆπα αφειλόμενος.

Αλλά τοῦτο ζΩΗΝ ΗΡΗΣ οὐ μῶν κεχαριτωμένος θυμῷ

Μετάσων ιερῶν δῶρα επιτάσσεις,

Ηματινοὶ νύκτες πονέων καὶ πολλὰ μογίσσεις

Τὸ ζαθέοιο θεῶς ρύμα περιπονώσεις.

Σπεῦδε, καὶ ἀγαθέες Εἰλήσεις ταῦτα χεροῖν ἔλισσε,

Τιμῆσσα λαχῶν καὶ πολύολβα γέρα;

Σπεῦδε, παλινοφεγγύισα τεῦ φέρε Πατρίδι πολλὰ

Χάρματα, Ευδήμοις γάρματα, Συγγενεῖς.

M. Ioannes V Vilkofer Ratisbo-

nensis ἐπώνυμος.


A D

94 A 7382



VD 17

21,7984.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

12
ERNSTOEB

Ex

DE VTERONOMIO

Disputatio IV:

De

ECCLESIA, ET INPRI-
MIS QVOMODO HÆRETICI ET
alij impij mixti Ecclesiæ sint tractandi:

Quæ

In Collegio disputationum Theologicarum
privato.

Ad diem 19. Decembris A. C. 1607.

UVitebergæ habebitur

PRÆSIDE

VWOLFGANGO FRANZIO

S.S.Theol. D. & Prof. publ. Præpo-
sitoq; templi arcis

Respondente

M. ERASMO ZOLNERO
Ratisbonense.

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Joh. Gorman.

M. DC VII.

